

ACTVS I

MICIO

- Storax!—non rediit hac nocte a cena Aeschinus
 neque servolorum quisquam qui advorsum ierant.
 profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam
 aut ibi si cesses, evenire ea satius est
- 5 quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat 30
 irata quam illa quae parentes propitii.
 uxor, si cesses, aut te amare cogitat
 aut tete amari aut potare atque animo obsequi
 et tibi bene esse soli, quom sibi sit male.
- 10 ego quia non rediit filius quae cogito et 35
 quibu' nunc sollicitor rebu'! ne aut ille alserit
 aut uspiam ceciderit aut praefregerit
 aliquid. vah quemquamne hominem in animo instituere aut
 parare quod sit carius quam ipsest sibi!
- 15 atque ex mē hīc natu' non est sed ěx fratre. is adeo 40
 dissimili studiosi iam inde ab adulescentia:
 egō hanc clementem vitam urbanam atque otium
 secutu' sum et, quod fortunatum isti putant,
 uxorem, numquam habui. ille contra haec omnia:
- 20 ruri agere vitam; semper parce ac duriter 45
 se habere; uxorem duxit; nati filii
 duo; inde ego hunc maiorem adoptavi mihi;
 eduxi a parvolo; habui amavi pro meo;
 in eō me oblecto, solum id est carum mihi.